

27. 4go.

2

Q. D. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO CAROLO,

BORVSSIÆ PRINCIPE, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, reliqua,

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO,

COLLEGII MED. h. t. DECANO,

DE

REMEDIORUM

BENIGNORUM

ABUSU ET NOXA,

PRO DOCTORIS GRADU,

Publice disputabit

JOHANNES TOBIAS CURTIUS,

BOLCKENHAYNENSIS SILESIVS.

H. L. Q. C.

Ad d. Novembr. Anno M. D. CC XIV.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

TYPIS GEORGI JACOBI LEHMANNI, Acad. Typ.

X

27

V I R O
MAXIME REVERENDO, GENERO-
SISSIMO,
DN. DAVID REICH
ab **EHRENBERG,**

Domino Hæreditario in Ostervien,
Canonico Cathedralis Ecclesiæ
Merseburgens.

Nec non
Sereniss. Princip. Würtembergæ-Olfnens.
Consiliario Aulico.

**DOMINO, MÆCENATI, PATRONO
& PROMOTORI**

suo

summa observantia ad cineres usq; colendo

Differtationem hanc inauguralem

submisit offert
JOHANNES TOBIAS CURTIUS,



PRÆFAMEN.



Trentione maxime digna sunt summi Medicorum Hippocratis verba Lib. de arte §.7. *Que profuerunt ob rectum usum profuerunt, que vero nocuerunt, ob id, quod non recte usurpata sunt, nocuerunt. Nam non minus ea, que damno sunt, quam ea, que opem ferunt, testantur, quod ars sit. Ubi enim rectum & non rectum utrumque suum habet finem, quomodo quis hoc artem esse neget.* Hicce sapientissimus vir universæ artis & exercitationis fundamentum compendiose & dilucide complexus est. Nam quicumque in auxilium prona remedia probe callet & prudenter iis uti scit, eorumque noxam atque exitium, quod improvida adplicatio adfert, intelligit, is certe in artis exercitio magna cum felicitate versabitur. Neque enim in natura, sicut perversa cum vulgi, tum indoctorum Medicorum fert opinio, dantur adversus morbos certi effectus remedia, quin potius ea tam
A 2 ad

ad salutem, quam ad damnum inferendum parata esse censendum sit. Etenim omnia remediorum genera ejus virtutis ac indolis sunt, ut cum prudentia ac solida ratione data saluti & præsidio sint, incaute vero, turbulenter & temerarie exhibita præsentissimum damnum adferant. Præcipuum itaque artis salutaris momentum est, usum & abusum remediorum probe addiscere, quamobrem quo quis majori experientia hac in re versatus est, eo melior certe Medicus est habendus. Quemadmodum vero non ejusdem indolis sunt remedia, sed ingens ratione virtutis & potentia in ipsis discrimen annotatur: ita etiam eorum incauta applicatio plus vel minus damni aut periculi habet. Non igitur sine ratione remediorum genera in blanda & benigna, vel in fortiora & valentiora, sive securiora & minus secura solent dispesci. Equidem nec ullum in se & sua natura absolute tutum vel intutum, idest, quod semper & omni tempore profit vel noceat dicendum est, nam posterius e foro Medico esset proscribendum, sed tutum illud Medicis vocatur, quod temperatum & naturæ conveniens est, neque multum corporis vim alterat, insegurum vero illud dicimus, quod validiori naturæque minus amico principio instructum vehementer commovet, fortes evacuationes vel provocando vel valide motus naturæ sistendo, in quorum classem omnia validiora purgantia, vomitoria, salivantia, narcosis inferentia & fortiter adstringentia sunt referenda, eo quod magna hisce vis insit in corporis nostri tam solidas, quam fluidas

das partes agendi, unde vulgo generosa & heroica audiunt, quibus, si quid eximii ars præstare debet, non facile possumus carere. Ex quo unusquisque, nisi penitus iudicii expers sit, clarissime intelligit, validiorum usum majorem attentionem & prudentiam, quæ praxeos & rerum medicarum optima est moderatrix, desiderare, quam circa tutiora & benigniora opus sit, utpote quod illorum abusus vehementius noceat. Quum vero de medicamentis infecuris, eorumque ex male administratis noxa alio tempore dictum fuerit, idcirco jam opere non indignum fore existimaverim, si de nocuentis, quæ a remediis mitioribus atque benignioribus male adhibitis profluant, sermonem faciamus, idque laboris in præsens pro specimine inaugurali suscepimus. Deus vero ter optimus maximus, qui unicus salutis humanæ fons ac præses est, ita mentis nostræ aciem dirigat, ut depulsis tandem errorum tenebris, infucatam veritatis lucem in artis nostræ operibus apertius intueri incipiamus.

I.

Acturi itaque de benignis remediis & de noxa, quæ ab eorum improvida adplicatione proficiscitur, non sine fructu arbitramur, ante quam ulterius progrediamur, exponere, nos per remedia non tantum intelligere strictè medicamenta e pharmacia petita, sed omnia ea, quæ in salutem & auxilium idonea & morbis oppugnandis apta existunt,

sive ad alimentorum sive pharmacorum vel etiam elementorum classem vel alias res externas sint referenda complecti. Per *to* benignum vero indigitamus illud, quod moderate agit, blandum est, neque facile, majori etiam quantitate exhibitum, corpus sanum & validum afficit, quibus ea, quæ minori dosi magnas turbas excitant & vehementiora ac validiora jure dicuntur, opponimus. Nostri igitur jam instituti erit breviter & dilucide ostendere benigna sic dicta remedia, alias non facile nociva, citra rationem tamen adhibita ad ingens damnum inferendum esse paratissima. Id quod observationibus atque experimentis non minus quam solidis ratiociniis confirmare jam contendimus.

II.

Non vero displicet hujus tractationis exordium capere ab illis, quibus etiam pro alimentis uti solemus, ut sunt aqua, vinum, dulcia, lac, juscula, infusa herbarum calida & id genus plura. Quid aqua dulci pura ad sanitatem est innocentius? nam communissimus & velut universalis multarum nationum potus est, quo ad ciborum dissolutionem sanguinisque circulum & excretionem tuendas non facile datur præstantior: neque ipsam frigidissime, etiam copia ingestam in se noxiam esse, acidularum potatores clarum edunt exemplum, qui summo mane in jejunum stomachum ex intervallo non adeo longo aliquot harum aquarum mensuras sine omni sanitatis offensa gelidissime hauriunt: si modo non ventriculus ipsorum infirmior fuerit:

fuerit: nihilofecius aquæ frigidæ tanta est vis, ut nou-
modo irreparabilem corpori noxam inferre, sed & ho-
minem breui e medio tollere possit. Quid enim ma-
gis experimentis compertum est, quam, cum corpori
motu intensiori calefacto frigidæ aquæ ingens quan-
titas immittitur, statim in extremam perniciem homi-
nem antea sanum conjici; collabuntur exinde proti-
nus vires, languor omnes artus occupat, ciborum cu-
piditas extinguatur, vomitus, distentio & anxietas
circa præcordia oritur maxima, ut huc & illuc agitent
corpus, vigilia adest assidua, interiora uruntur, exte-
riora frigent. Quæ cuncta feralia pathemata non ali-
orsum, quam ad ruinam & interitum corporis, nisi
principio statim convenienti medicina succurramus,
sunt comparata. Plures novimus hoc modo præma-
tura discessisse morte, alios immedicabilem contra-
xisse labem, ut tota ætate cum morbis fuerit collu-
ctandum. Nihil certe frequentius in Praxi Medica
occurrit, quam si medicus contumacium morborum
originem scrutetur, laborantes edicant: *ich habe es
von einem kalten Grund bekommen.* Neq; vero extat
eadem apud omnes symptomatum ratio idemque visi-
tur periculum. Nam qui venas latiores habent &
macilentioris habitudinis sunt, ii non tam graviter affri-
gido potu adfliguntur, quam qui spongiosam carnem,
laxas ac copiosas fibras a natura obtinent, siquidem
in his sanguinis & humorum cursus longe facilior
quam in illis intercipitur, unde ad sphacellosam visce-
rum corruptelam paratior etiam est via. In hujus rei
illu-

illustrationem placuit notabilem sed tristissimum casum ad publici saltem utilitatem communicare. Princeps excelsa indole non minus, quam corporis habitu elegantissimus, sanguine & succis redundans, paulo oberior, non ultra viginti quinque annos natus, perfecte antea sanus, ex vehementi corporis motu ferventior redditus ingentem cerevisiæ ebibit haustum & frigido & aperto cœlo corpus objicit, ex eo mox de languore, horrore, calore intensiori, vigilia conquerebatur: quæ symptomata postea adhuc atrociora excipiebant, virium nempe prostratio tanta fuit, ut non sine lipothymia metu corpus erigere potuerit: pulsus languidus, inæqualis & celer fuit, conatus ad vomendum perfrequens, perpetuaque ipsum premebat anxietas, quæ ex intervallis increscens tanta fuit, ut huc & illuc non modo agitaret membra, sed in uno loco diu detineri non potuisset. Oris halitus extraordinarie fœtens notabatur. Die demum septimo cum summo suorum luctu præmatura morte infelicitè vitæ finem clausit Princeps ob rarissimæ indolis dotes longævitate dignissimus. Sequenti die facultas medicis concessa est corpus aperiendi, ubi sequentia notatu admodum digna observabantur: ventriculus propemodum totus inflammatus videbatur, inque eo, quod rarius usu venit, aliquot cochlearia fœtidi & corrupti sanguinis continebantur, lien ultra modum erat extensus, flaccidus, male colorato sanguine impletus & corruptioni tam propinquus, ut ad levem di-
gito-

gitorum attactum ejus substantia dissolveretur, dein totus sinister pulmonis lobus niger, corruptus, foetidissimus erat, a quo summe putridus intolerabilis foetoris, similis coloris humor in thoracis cavum descendit, & quod mirandum, tam erodentis erat indolis, ut spongiam, qua detergebatur, in atramentum simili penetranti colore tingeret, ut nullo artificio nigra inde macula elui potuisset. De reliquo vasa sanguinea maxima ex parte inanita, cor minoris magnitudinis erat. Ecquis vero repentinam & feralem hanc viscerum catastrophem tam brevi temporis intervallo indutam non mirabitur? hanc enim corruptivam lienis & pulmonum labem firmo atque alacri Principi de nullo unquam incommodo conquerenti ante morbi accessionem jamdum advuisse nequaquam vero simile est. Igitur frigidam cerevisiae potionem celerrime ex ventriculo ad sanguinem translata hanc corruptelam praecipue jam dictis visceribus attulisse plane censendum est. Quodsi enim sanguis sine motu in partibus extremis subsistens non multo adeo tempore corrumpitur, iisque cadaverosam naturam inducit, quidni etiam cruor in visceribus sanguineis, neque adeo ob relaxatas fibras robustis, ut sunt lien & pulmo, haerens & motu exutus aliquot dierum spatio in putrilaginem abire, ipsaque viscera eadem labe adfligere poterit? Nihil certe impedit, quo minus statuamus in eundem modum viscerum perinde ac membrorum externorum sphacelationem procedere. Quid autem ipso frigido potu copiose & celeriter admissa citius sanguinem

B

nem

nem in coagulum mittere & progressivo motu ipsum privare possit, equidem nescio. Intelligimus exinde, quam brevi & quam facile funesta corruptio visceribus inferri, ipsaque mors robusto & vegeto homini parari possit. Huic vero internæ putredini summam virium ad animi usque deliquium prostrationem debilemque atque exilem arteriarum pulsum nec non ex ore fœtorem adscribimus. Maximas vero cum inquietudine anxietates, quibus indies magis magisque premebatur, & insequentes convulsivas artuum tractiones & præcordiorum æstum & tam subitam mortem inflammati ventriculi fœrum fuisse jure censendum est.

III.

Ceterum, quam exitiosa ventriculo sit frigida portio, innumeris aliis notis exemplis confirmatum habemus. Is enim paulo post a frigido potu, præsertim vehementi animi excandescencia præcedente vel validiore purgante aut vomitorio dato laceffit inflammatione, quæ singultum, anxietatem, inquietudinem & summam infirmitatem comitem habet, corripitur; idem fit in illis, qui diuturno mœrore aut spirituosorum abusu inclinante præsertim ætate robur corporis & ventriculi minuerunt, ubi, si excandescunt & frigidam potionem hauriunt, lethalem facile inflammationem internam sibi contrahunt, quod plurimis exemplis, si instituti ratio permitteret, possemus corroborare.

IV.

Verum enim vero non tantum frigidus infelicit
ter

ter haustus potus, sed & calidus, alias corpori nostro longe amior, detrimentum quoddam sanitati adfert. Neque alienum a scopo nostro erit nonnullis observationibus id ipsum illustrare. Notavimus videlicet plus vice simplici in hypochondriacis, quibus in prima regione multus & perpetuus acidi proventus est, ortas fuisse in facie ardentem rosaceas pustulas, in aliis os & fauces ulcusculis ferventissimis, erodentibus, quæ Græci *αφθὰς* adpellant, obsessas fuisse, alios pruritu in toto corpore fuisse vexatos. Quorum vitiorum vix alia subsuit causa, quam liberalis & fere assidua infusi herbae Thee potio. Quæ cum pariori manu concessa fuerit, indies molestiæ hæceperunt decrementum, siquidem primarum viarum acidum, quod corrigi potius & alvo exturbari debebat, cum calidissima aqua volatile fit, inque sanguinis massam translatum valente natura ad circuitum corporis, ubi hærens partes erodit, dejicitur. Notavimus præterea in variolarum morbo item in purpura, quæ nostræ regionis incolis est endemia, idem infusum, paulo largius exhibitum male habuisse laborantes, quod non modo purpura inde contumacior & ardentior facta fuerit, sed & pustulæ in variolis suppurari renuerint anxietate præcordiali cum febre aucta & diutius persistente: Hos enim morbos a sale subtili erodente ad habitum corporis diffuso subnasci, quod roscido temperato lymphæ succo, qui calido hoc potu nimis dissolvitur, temperandum erat, nemo facile Medicorum in dubium revocabit. Atque minus feliciter infusi

B 2

hujus

hujus potum ingenti copia datum in tertiana & biliosa febre cessisse annotavimus. Cum enim harum februm causa ex consensu plurimorum Medicorum fit bilis corrupta in primo intestino hærens, quæ convenienti Medicina prius cum corrigi tum expurgari debet, non potest aliter fieri, quin illa nimio calore aquæ ad interiora sanguinis transvecta non modo fervorem & vigiliam, sed & anxietates adaugeat. Neque minus molestiæ imo periculi oboritur, si quando post vehementem animi excandescentiam, quæ biliosum humorem cum impetu ad duodenum præcipitat, calidissimus potus usurpatur, inde tremores & dolores artuum, cephalalgia quandoque non sine magna corporis infirmitate sequuntur. Præstat potius biliosam colluviem absorbente pulvere prius temperare & postea per alvum seu congruum emunctorium ejus foras exterminare.

V.

Potum Coffe nemo facile in se noxium pronuntiabit, utpote cum non modo Turcarum, sed & Germanorum nostris temporibus solennis mos sit & summo mane & mox a cibo sumto cum in maxima copia adsumendi, nihilominus non sine noxa sæpenumero id fieri experientia multiplici habemus confirmatum. Ejus enim nimius & fere quotidianus usus infirmioribus maxime feminis valde nocet, quæ nervorum & virium insignem inde debilitatem reportant, dum morbo vel puerperio accedente tam notabilis languor oritur, ut vires symptomatibus evincendis vix ac ne vix
qui-

quidem suffecerint. Novimus complures quoque viros a frequentiori ejus usu tremorem manuum contraxisse, alios vigilia & sensuum imbecillitate pressos fuisse, siquidem fabæ hæ Arabicæ perinde ac aliæ fabarum species oleo non adeo nervis blando & amico, sed gravi & adverso sunt imbutæ, quod jam debiles & languidos nervos plus debilitat.

VI.

Succolada ex Hispania ad nos delata deliciosum constituit potum, qui ob præstantissimæ virtutis & temperatoris naturæ ingredientia corpori plus amicus, quam infensus est, attamen, quo plus ab hypochondriacis assumitur, eo majori ipsis est malo, sunt inde ructus, appetentia dejicitur, dolor & anxietas circa præcordia oritur, procul dubio ob ventriculi inde factam inflationem. Etenim acidum fortius, quo primæ viæ hypochondriacorum nunquam non sunt obsessæ cum substantia hujus remediî terreo oleosa congregiens massam parit lentam viscosam minusque mobilem, quæ plicis ventriculi & duodeni firmius adhærens amplam ad dicta mala suscitanda causam & occasionem subministrat. Eo casu moderatum emeticum præsentaneam opem tulisse vidimus, utpote quod miram paulo nigricantem humorum colluviem ab aliquo tempore jam contractam insigni cum virium tolerantia & laborantis alleviatione rejectavit. Evenit id facilius, ubi ingenti ventriculus laborat attonia atque alvus difficiliter descendit.

Jura carniū & quæ ex illis cum ovis & saccharo mulierculæ parare solent roborantia juscula ad restorationem sanguinis, morbo & diuturna abstinentia absumti multum contribuunt, nihil tamen nocentius est, ac si intempestive in primis in febrium statu vel etiam sub earum declinatione dentur, ægerrime enim inde ægri revalescunt, interdum etiam recidivæ fiunt, vel lenta insequitur febris diutius affligens. Longe vero plus periculi talismodi carniū jura in febribus putridis & malignis largius data habere percrebra experientia testatur, qua de re in primis. *Idea febris petechizantis D. Donckers* meretur evolvi, qui pluribus observationibus confirmat, pessime inde habuisse etiam eos, qui in declinatione morbi versabantur, secuta inde vel recidiva vel morte. Hujus sinistri effectus rationem invenire haudquaquam difficile erit. Ecquis enim est, qui ignoret, nihil promptius, quam quod animantibus inest humidum, putrescere, quare ob id malignarum vis, quæ potissimum in putredine tam partium solidarum, quam fluidarum sita est, multum augetur. Accedit, quod tam forte alimentum in convalescentibus natura & ventriculus adhuc infirmior non satis subigere possit, unde cruditates novorum morborum fomites generantur. Et hæc quoque procul dubio est causa, cur jura carniū saturata puerperis primis diebus non bene proficiant, eo quod impuratum, quibus scætet prima regio, majorem

jorem faciant proventum. Neque jura carniū con-
 venire iis, qui graviter in capite vulnerati sunt, Au-
 ctor est *Arcæus* egregius Auctor, quo non facile quis
 curatius de recta curandorum vulnerum ratione scrip-
 sit, qui Lib. I. pag. 53. in hæc verba erumpit: *jure*
carnium interdendum omnibus, qui gravia capitis vul-
nera patiuntur, utpote quod nocere vehementer soleat.
 Effectus vero tam noxii ratio nobis hæc videtur, quod
 jura ejusmodi valde alimentosa nimis nutriant & a-
 bundantiam sanguinis faciant, quæ ob graviolem sta-
 sin humorum metuendam in talibus capitis læsioni-
 bus plus nocet, quam prodest, eaque propter peri-
 tos Medicos hisce in casibus victum tenuem, nec non
 sanguinis missionem ac alvum leniter ducentia pru-
 denter svadere arbitramur.

VIII.

Vinum generosum & vetus ad fovendas & au-
 gendas vires esse magno præfidio, quo non datur ex-
 cellentius, neminem inficias facile ire arbitror. Ne-
 que illud tam alienum naturæ nostræ esse vel ex eo
 constat, quod citra sanitatis singulare dispendium qui-
 dam aliquot ejus mensuras quotidie ebibant, nihilo-
 fecius vel parca etiam manu in ardentibus febribus &
 quæ internas inflammationes junctas habent datum,
 gravibus noxis corpora adfligit: poris enim occlusis,
 ubi interiora fervent, non modo major ardor, sed & pe-
 riculum vehementioris inflammationis fit. Et hæc
 est ratio, quare in omni acutarum genere a peritio-
 ribus plane interdicitur. Novimus in variolis ac mor-
 billis

billis & pectoris inflammationibus a vini improvido
 haustu phrenitides ortas. Recordamur quoque ta-
 listmodi tristis hoc loco casus, ubi, cum ante aliquot
 annos spectatissimus vir ex peripnevmonia fere con-
 valuit & vinum sect adsumsit, recidivam lethalem in-
 de sibi contraxit. In omnibus quoque capitis mor-
 bis epilepsia, convulsionibus, adfectibus soporosis vel
 externis ejus læsionibus, vulneribus usus vini nocen-
 tissimus est. Etenim omnia spiritiuosa, cum sangvinis &
 humorum impetum urgeant ad caput, læsiones ibi fa-
 ctas deteriores reddunt.

IX.

Dulcia sive quæ multum mellis ac sacchari ha-
 bent remedia impune & sine noxa a compluribus ma-
 xima in copia devorantur, eorum tamen in morbis
 usum ab omni damno non esse plane immunem, com-
 plura nos edocent experimenta. Nil in praxi solenni-
 us est, quam quod in pectoris morbis tussi & acris
 ad asperam arteriam delabentibus humoribus dulcia
 eclegmata acrimoniæ deliniendæ causa præscriban-
 tur, sed quam infelici successu id sæpius fiat, etiam non
 incognitum est: ventriculi enim inde digestio invertitur
 & liquor fermentalis enervatur, unde ingens crudita-
 tum fit proventus, quæ ad massam sangvinis delatæ
 viscera infarciunt, obstruunt, & hac ratione ad cache-
 xiam vel hydropem viam parant expeditissimam.
 Elegans hanc in rem extat apud *Montanum* locus
Consult. 77. qui sic scribit: *ego maxime abhorreo ab e-*
lectuariis, ubi imbecillitas ventriculi suspecta est. *Vidi*

homi-

homines saepe dum illis volumus catarrhum curare, ex
 frequenti & nimio usu Electuvariorum incidere in hydro-
 pem, dum enim illa frequenter sumunt die nocteque: im-
 peditur inde concoctio & augetur catarrhus, observavi-
 mus malum ex pulmonibus hac ratione ad abdominis par-
 tes precipitatum, ubi quidem respiratio liberior reddita
 fuerit: at ingens tumor pedes & abdomen occupavit.
 Neque hac de re aliter sentit prudentissimus ille tri-
 um Imperatorum Archiater Crato, qui Lib. V. Con-
 sil. 7. hæc promit, Videmus, inquit, propter nimis fre-
 quentem usum eclegmatum, eos, qui pectoralibus morbis
 laborant, interdum in hydropem incidere, nam dulcia ra-
 pta ad hepar, obstructions pariunt. Etenim dulcia si-
 ve alimentorum, siue medicamentorum locum sube-
 ant, utut in sanis corporibus non adeo sint formidan-
 da, cum summa tamen cautione, ubi lentior sanguinis
 per viscera præsertim abdominis cursus, tardiusque
 humorum iter & transitus est, iis est utendum: promte
 enim ac per facile ob lentorem, quo gaudent, viscera
 hæc infarciunt & ad obstructions graves longorum
 morborum genitrices expeditam viam parant vel eas
 jam præsentibus obfirmant. Qua de causa etiam jam o-
 lim excelsi ingenii Medicus Celsus Lib. IV. C. 23. in Li-
 enis morbis vel ubi viscera scirrhus laborant, dulcia non
 tuto esse pronuntiavit. Maxime omnium vero hypo-
 chondriacis sic dictis eorum usus infensus est. Vidi-
 mus frequentius a fructuum saccharo conditorum
 modica parte adsumta in feminis sic dictis hystericis
 ingentes cardialgias, præcordiorum angustias & ven-
 tris

C tris

tris borborygmos subortos non sine magna virium & adpetitus depressione, ubi enim in prima regione fortior succorum ab exuperante acido assumptorum est fermentatio, qualis in hypochondriacis visitur, ibi omnia, quæ facilem fermentationis motum subeunt, ut sunt dulcia, in acidissimum liquamen convertuntur, quod vehementius laceffendo nervosas ventriculi sensu præditas tunicas jam recensita mala concitat. Præterea dulcium usus in febribus, quibus sedes & domicilium primis in viis vel visceribus est, insigniter omnino nocet, unde non injuria hunc in modum conqueritur *Henricus ab Heer Lib. 1. Obl. 5. multos agrorum divitum interire in febribus propter abusum syruporum & dulcium saccharatorum utpote quod nimium febres exasperent.* Hujus rei ratio in procinctu est, nam in omni febris genere natura corporis occupata est, illud, quod superfluum, quod ipsi inimicum, quod stagnat, obstruit aut putrescit, auctiori motu resolvere, amovere & foras eliminare. Jam vero per talis modidulcia viscidioris & immobilioris indolis natura in resolutionis & excretionis desiderato negotio non modo multum impeditur, quin potius etiam novus quasi fomes & materia febrium hac ratione subministratur. Neque adeo diversa, sed eadem tere est ratio, quare omnia quæ valide nutriunt, ut sunt carnes quadrupedum & ex iis parata valde alimentosa juscula nulla in febre proficua sint & recte a sagacioribus Practicorum interdicuntur. Ceterum non exiguum damnum est, quod saccharata & dulcia largius exhibita in contumaci

maci tussi, cujus causa prima in regione residet, infeliciter adferunt. Utpote cum viscidam, acrem, quæ nervosas partes stimulat, pituitam adaugeant; plus detrimento, quam emolumento sunt. Præter enim id, quod cupiditatem ciborum & digestionis vim imminuant ac gravitatis sensum in præcordiis generent, simul amplam flatuum materiam ac causam suppeditant. Potius tussis ex stomacho orta prætermiſſis dulcibus temperantia & clementer evacuantia carminativa, blanda aromatica, balsamica & roborantia desiderat. Denique in genere notari velim, ubi humorum stagnationes vel in primis viis vel in visceribus sunt, minus commode & proficue dulcia offerri.

X.

Lac naturæ humanæ non adversum, sed perquam amicum esse, tenerrimi infantes, qui hoc nutriuntur, suo exemplo comprobant, nihilominus tamen cum ipsi infanti, tum adultiori etiam homini sæpenu-mero sit venenum. Lactantium gravissimas, imo funestas, quibus colluctantur, ægri- tudines potissimum a nutricis lacte in infantis ventriculo coagulato, corrupto & in corrosivam acridinem mutato proficisci, nemo facile in dubium revocabit. Etenim, quo natura infantis tenerior & ventriculus est imbecillior eo plus molestiæ lac crassum, butyrosum, in coagulum pro- num ipsi faceſſere jure censendum est, utpote si diu prima in regione stagnet nec promte per canalem ali- mentarium transeat, ex mora aceſcit, corrumpitur, & bile admixta viridescit & valde corrosivam indolem,

tunicas ventriculi erodentem induit, inde torminum, anxietatum, convulsionum, asthmatis, inflationis ventris, epilepsiæ origo. Multum itaque peccant, qui imbecillos & teneros adhuc infantes subinde ipsis mammæ præbendo lacte alias optimo ita adimplent. Non dissimili ratione lactis usus in adultioribus, si ventriculus debilis est, inque eo largus acidæ proventus gignitur, miras turbas, anxietates, flatulentias, borborygmos, nauseas, tormina excitat atque adeo quo naturæ blandius & amicus hoc medicamentum, imo alimentum sit, eo cum majori cautione atque prudentia administrari debeat. Laborabat nuper admodum egregius vir stomachali febre cum vomitione acidorum succorum & ipse cum adævetus esset potum Coffe cum lacte præparatum usurpare, insignem die quodam ejus quantitatem hausit, a cujus vero usu protinus pessime se habuit, maxima præcordiorum angustia & anxietate cum extremorum frigore inde consecuta, demum tam per superiora, quam per inferiora materia instar coagulati casei secessit magna cum alleviatione. Novimus etiam dysenterico non sine magna cum offensa lac datum fuisse; ab ejus enim usu mox cardialgia, singultus & magna circa præcordia anxietas cum vomendi desiderio sequebantur, tandem lac coquebatur, & aqua calida affundebatur, & ita non nocuit, sed valde potius profuit. Est quoque lactis usus multum infensus hypochondriacis, quorum ventriculus exuperante acido onustus male alimenta digerit, unde lac cum primum descendit, protinus coagula-

gula-

gularur & inflationi ventriculi ac intestinorum, a qua plurimorum pathematum ipsis familiarium ratio pendet, mirifice lenocinatur.

XI.

Lactis curam, in qua nihil solidi vel fluidi præter hoc ipsum admittitur veluti summum ad dolores podagricos tollendos & deliniendos nostro tempore celebrari remedium notissimum est. Novimus quoque tali afflictionum genere pressos biennium, quamdiu nempe id remedii genus usurparunt, ab omni dolore fuisse liberatos. Quamprimum vero victum mutarunt remoto lactis usu mox in alios morbos graviores cachexiam, stranguriam & vesicæ calculum inciderunt & brevi diem suum obierunt. Nam qui viscera non habent sana, integra & aperta penitus hoc remedio abstineant auctor suarumque sum; nihil enim ad eorum obstructions & fovendas & firmandas, nihil quoque ad calculi generationem aptius & convenientius ipso lactis usu observatur. Verum enim vero, quo magis noxium & infensum lac est cachecticis, calculosis & scorbuticis, eo utilius & salubrius ejus serum, præsertim, si cum succis herbarum antiscorbuticarum & aperientium coquatur dictis in morbis, notatur. Equidem, sicuti lac infarcit, obstruit, excretiones retardat: ita ejus serum potius alvum laxat, viscerum & meatuum obstructions reserat, acrimoniâ humorum, nec non interiorum partium fervorem attemperat. Utpote crassa illa, caseosa & butyrosa materia, facile coagulabilis & minores canaliculos ob-



struens naturæ corporis nostri inimiciffimâ est, quare quo tenuius lac est, eo salubrius recte existimatur. Et hanc ob causam veteres lac asinum tantopere æstimarunt, quia tenuissimum est, nec multum crassæ caseosæ materiæ habet & ob nitrosam, qua pollet, detergendi vin, egregie humectat, neque minus clementer laxat. Ad purgandum enim lacte asinino veteres usos fuisse ex *Hippocratis monumentis lib. de victu pag. 44.* evidentissimum est. Et, quia pulmonum scirrholosa tubercula, quæ exulcerata instar cancri maximam pulmonis partem in phthificis consumunt, virtute sua absterforia præ aliis remediis eximie solet referare, hinc magno cum fructu teste *Plin. Hist. Nat. Lib. 24. Cap. 9. & Celso Lib. IV. C. 24.* in phthisi usurpatum legimus. Optimus vero modus est, si qui morbi lactis curam desiderant, illud miscendi cum aquis mineralibus inprimis iis, quæ sale alcalino fixo ut Selteranæ acidulæ, thermæ Embenses, Carolinæ imbutæ sunt: in harum vero defectu infuso Veronicæ oleum tartari per deliquium commodissime additur, qua mixtura efficitur, ut lac primis in viis nec facile coaguletur, nec diutius ibi subsistat, sed meatus corporis subeundo obstructions partium feliciter referet.

XII.

Quæ de sinistro lactis usu jam commemoravimus ea quoque jure meritoque ad emulsiones, quæ nil nisi lac artificiale sunt, & quarum frequentior in Medicina usus, possunt adplicari; Quamvis illæ ex tenuioribus feminum vel nucleorum oleosis vel mucilaginosissimis partibus

tibus 'constent', nec tantum crassæ substantiæ quantum animantium lac obtineant, nihilominus earum incautum usum in cachecticis, hypochondriacis, & ubi insignis ventriculi debilitas vel atonia est, plus nocuamenti quam emolumenti attulisse experientiæ fide comprobatum habemus.

XIII.

Pingua & oleosa, quæ ex fructibus artificiali expressione eliciuntur, præterquam quod locum in alimentis teneant, in medicamine præsertim ad partes spasmò constrictas relaxandas & vias lubricandas mirabilem utilitatem præstant. Etenim in atrocioribus abdominis tormentis in Colica sic dicta convulsiva, qualis frequens est in metallurgis, qui improvide saturninos fumos hauserunt, neque minus in truculentis ex calculo doloribus oleo amygdalino dulci paulo largius tam interne, quam externe exhibitò nihil quidem præsentius exhibetur, eo quod ab eorum usu mox dolorum sævitia quadantenus sese remittat: At vero quam proficius eorum usus dictis in morbis est, tam nocivus est apud hypochondriacos, quorum ventriculi actio admodum languida est. Nam acidum, quo abundant, corrosivum cum pinguibus congregi-endo non modo propter effluvia acria calida ingentem ardorem in cæphago & faucibus excitat, sed & in coagulum, paulo firmitus, multis modis nocivum, degenerat. In hujus vero adsertionis evidentiorè confirmationem sequens historia a *D. Præside* communicata multum facit. Juvenis quidam, vix trigesimum

finum annum transgressus, structuræ gracilioris & naturæ sensibilibioris a multo jam tempore hypochondriaca symptomata passus est. Is ex mutato potu & aperto paulo frigido cœlo in gravem ilei dolorem, quem vulgo colicam adpellant, incidit, utpote circa umbilici regionem intolerabili cruciatu premebatur, alvus aderat tensa, dura, valde adstricta, nulli clysteri obediens, & potius dolores & anxietates augebat, interne vero maxima copia oleum amygdalarum dulcium quod alias in hujusmodi doloribus miras suppetias fert, sed sine omni alleviatione hausit. Tandem ex Consilio *D. Presidis* mannam paulo liberaliori dosi ad uncias nempe quatuor in crêmone avenæ solutam modica nitri & salis tartari adjecta portione ex intervallis adsumsit, a cujus usu mirabilem durorum globulorum avellanæ minoris crassitie per inferiora excrevit. Quorum mox ingens adhuc quantitas secuta fuit, globuli tactu duri erant, instar sevi coagulati, & cum paululum siccati essent, factò experimento, *D. Pres.* candelæ admovi, tum ardebant & lucidissimam dabant flammam, aquæ communi injecti innatabant: vacuata hac copiosa sebacea materia melius habere æger cœpit, interim amygdalini olei usum continuabat, & pinguia carniū juscula alimentosa adsumebat, inde protinus atroces abdominis dolores resurgebant, & cum ventrem inferiorem tangeret, ecce ipsa manu duros illos globulos in intestinis restagnantes præsertim cum macilentius erat corpus, deprehendebat, unde superius decoctum Mannatum rursus

fus

sus propinari iussit, quo denuo excreta ingenti horum
 globulorum copia ulterius abstinendo ab omnibus
 pinguibus æger omni dolore vacuus incolumisque
 jam vivit. Horum vero globulorum genesin ex nul-
 la alia causa, quam quod oleosum tam alimentum,
 quam medicamentum cum acido fortiori primarum
 viarum congregiendi coagulum tale produxerit, non
 secus æque ac cum commixtione spiritus acidi & olei
 fieri contingit, esse derivandam duxi. Notavit
 quoque; *D. Pres.* simili ratione in hypochondriacis vomit-
 tus pure sebaceos, eo quod materia flammæ admota,
 lucidissime exardesceret. Neque pro re insueta ha-
 bendum est, quod in infantibus quandoque ex lacte
 nimis pingui concursu acidi tales globuli non sine vi-
 tæ periculo progenerentur. In hujus rei confirma-
 tionem juvat egregiam historiam a *B. Laurentio Hoff-*
manno de vero usu & vero abusu medicamentorum Chy-
micorum pag. 48. consignatam adducere: Matrona quæ-
 dam obesioris constitutionis, quatuor enixa partu est
 filiolas, quæ omnes vix annum egressæ interventu e-
 pilepsiæ vitam cum morte commutarunt. Neque a-
 deo Medicus, nec mater hujus interitus causam adæ-
 quatam pernoscere potuit. Cumque tandem quin-
 tum partum edidisset, isque primum ætatis annum fe-
 re complevisset, non dissimilia motibus convulsivis se
 præbuerunt indicia. Medicus in consilium vocatus
 advertēbat grana butyracea instar cerasorum vel pifor-
 rum copiose fuisse excreta, qualia mater quoque in
 filiolis quatuor antecedentibus observaverat, unde fo-
 lis

lis clysteribus abstergentibus & liquore hordeaceo usus est *Hoffmannus* & sic sanitati ipsam restituit & epilepsiæ truculentiam avertit. Ratio procul omni dubio hæc est, quod infantes tenerrimi circa ablactationis tempus pultibus pascantur, quæ ex lacte, butyro, & similia paratæ sunt, ubi ista lactis pinguedo non cedit in alimentum, sed ab acido in coagulum concrevens in intestinorum cellulis ex diuturna mora corrumpitur, acescit & convulsionum ac dolorum occasionem præbet amplissimam.

XIII.

Quid pediluvii potest tutius atque innocentius excogitari? siquidem cum cursum sanguinis expeditiorem reddendo perspirationem in universo corpore adjuvant, tum humorum & sanguinis impetum a capite & pectore revocando & ad inferiora incitando in omnibus fere, qui pectus & caput obsident, morbis, præsentissimi effectus præsidia observantur: sed tamen plures sunt casus, ubi eorum minus dexter usus ingenti nocumento est. In corporibus videlicet præhumidis & spongiosis declinante præsertim ætate perquam facile pedum tumores accersunt, eo quod fibrarum tonum nimis relaxando efficiunt, ut sanguinis cursus per inferiores partes, per quas semper difficilius est, segnior atque impeditior fiat, unde tam prompte fit seri a sanguine in habitum carnis porosum secessio. In morbis quoque catarrhalibus, ubi natura superfluum serum per faucium & asperæ arteriæ glandulas critico veluti motu exonerare nititur, non semper

per tutus pediluviorum usus est, quod aliorum invi-
tando & quasi retrahendo materiam, salutare hoc secre-
tionis negotium perturbent, unde languor & lassitudo
corporis facile consequuntur. Neque eo tempo-
re, quo menses fluere incipiunt, pediluvii uti expe-
dit, ut quæ plus eos sistunt, quam promovent, dum
sanguinis motum ad uterum quasi revocant inq; porosa
pedum substantia blando humido calore majus pro di-
vertendo ipso spatium efficiunt. In pedum fœtore
nunquam non mala sunt: ita exinde hypochondrio-
rum tensiones & ingentes capitis dolores subnatos fu-
isse vario exemplo edocti sumus. Nam quemadmo-
dum capituluvia in tinea capitis vel aliis exanthe-
mibus materiam peccantem ingenti sæpius cum vitæ
periculo præsertim in infantibus repellunt: ita etiam
pediluvia ad sudorem fœtidum repulsandum magnæ
sunt efficaciam. Videtur enim aqueum humidum ejus esse
naturæ, ut cutis tonum secundum naturam & glan-
dularum subcutanearum vim, quibus excretio sudoris
fit, minuat atque destruat. Id unicum adhuc com-
memorandum censemus hoc loco, quod in quibusdam
affectibus spasmodicis ab usu pediluviorum horri-
pilatio & frigus universum corpus pervadat.

XIV.

A pediluvii ad balnea devenimus, quorum usus
in Medicina, ubi dura & constricta sunt mollienda, &
laxanda, obstructio removenda, atque viæ ad excretio-
nem præparandæ, incomparabilis est, unde in atroci-
oribus doloribus colicis & calculosis in spasmis, con-

tracturis partium, corporis & membrorum languore
 divinam ferre solent opem. Quodsi vero sine pru-
 dentia & sine debita cautione usurpentur, sæpe acci-
 dit, ut irreparabilis noxa inde consequatur. Primo
 corporibus cachecticis & repletis nunquam fere profi-
 cua sunt. *Welschius in Hypomnematis pag. 39.* nota-
 vit hydropicum, qui balnei usu fufis humoribus in
 epilepsiam incidit. Postea plethorici & cacochymici
 vel quibus naturales sanguinis excretiones suppressæ
 sunt, quandoque capitis & nervorum læsiones, affe-
 ctus etiam soporosos sibi contrahunt. Laborabat
 non ita pridem vir sanguine redundans ex calculi do-
 loribus, medicus præscripsit balneum, quo cum nimis
 calide uteretur, protinus citatior cum aucta respirati-
 one redditus fuit ipsius pulsus, fervore totius corpo-
 ris ac capitis dolore vehementi insequente, ut febre
 correptus ab omnibus haberetur: Quem in finem et-
 iam missus sanguis fuit, & pulveres ex nitro & præci-
 pitantibus non sine fructu oblatis. In Gonorrhœa in-
 que fluore albo & catarrhosis affectibus nunquam non
 balnea nocuisse observatum est, utpote cum glandu-
 las partes jam nimis relaxatas & a tono suo dejectas
 plus resolvant atque emolliant, ut majori humorum
 adfluxui atque congestionem pateant. Quæ vero jam
 diximus de balneis, ea multo magis circa thermas e-
 arumque usum externum tenenda sunt, utpote quarum
 incautus usus ingentem corpori noxam adfericat. In-
 star omnium exemplo sint Carolinæ, quæ incautius
 & nimis calide a plethoricis usurpatæ acutas febres
 cum

cum delirijs accendunt, tum maxime cordis pal-
 pitationes, asthma, cephalalgias & graves sopores,
 membrorum languores sæpe non sine periculo con-
 citant.

XV.

Ab usu externorum atque eorum, quæ etiam a-
 limenti vice funguntur, magis ad medicamenta nos
 convertimus & quidem primo ad absorbentia seu sic
 dicta præcipitantia, quibus terrea, quæ acidum atque
 humidum imbibunt ac invertunt, intelligimus. Ho-
 rum usus ampliffimus & maxime saluberrimus
 deprehenditur, eo quod motui sanguinis progressivo
 nihil magis quam coagulans & obstruens sit infensum.
 Nihilominus & horum exhibitio non parum pruden-
 tiæ desiderat, sub ventriculi enim atonia, si is viscido-
 rum colluvie scater, & falsi magis, quam acidi ibi hæ-
 rent humores, eorum usus plus nocuisse, quam pro-
 fuisset observatum est: appetitus exinde magis de-
 jicitur, gravativus & compressivus sensus præ-
 cordiorum exinde infertur, præsertim in sensibiliori-
 bus. Nam ardor quidem ad tempus mitigatur,
 sed mox vehementior resurgit, doloribus & tor-
 mentis inferioris ventris sæpe insequentibus. Igitur
 tutior iis utendi via ac ratio est, si salibus neutris ad-
 misceantur vel leniora laxantia, rhabarbarina, man-
 nata aut modeste aloetica iis subjungantur, ut acidum
 primarum viarum ab iis castigatum vel per urinarias
 vel per alvinas vias simul educatur.

XVI.

Nitrum si ullum sane hoc magnum & certum in Medicina effectum præstat, qualem de paucioribus remediis nobis vix possumus polliceri, utpote ingentem interiorum ardorem ipsamque sitim extinguit, & gustu non modo sed & virtute evidenter refrigerat. Quare ejus usu in omni calore febrili deprimendo nihil potentius est. Præterea flatus valide discutit, atque in doloribus & spasmodis sedandis non mediocrem fert opem. At vero, quam nobilis & valens est medicina, tam nocentis quoque est facultatis, si non rite ipso utamur. Etenim, ubi natura infirma ac debilis est, & eget robore ac interno motu ad expellendum illud, quod infensum corpori est, ibi magna cum prudentia, ut nitrosa adhibeantur, necessarium est. Id potissimum fit in febribus malignis, petechialibus, peste, sique variolæ & morbilli mali moris corpora obesa, spongiosa vel cachectica invadunt, his enim robur ad sanguinem regendum & expellendum ab eo superfluum deficit; quibus casibus cautissime utiq; cum nitrosis mercandum est, quia cum vim fibrarum motricium nimis deprimunt, nocent. In genere enim notandum hoc est: ubi metus est stagnationis, corruptionis humorum vel sphacelationis partium, ibi convenit plus progressum humorum promovere, quam eundem sistere. Ceterum ad arcendas inflammationes ipso nitro nihil est præstantius, id quod experientia indies confirmat. At ubi inflammatio magna præsertim corpora præhumida & cachectica occupat &

ubi

ubi illa in sphacelum inclinat, nitrosa omnisque generis refrigerantia amovere oportet, hanc nimirum ob causam, quia sanguinis stasin corruptivam non tollunt, sed potius promovent. Notavimus quoque ex nitro parata medicamenta in variolis morbillis, purpura, vitæ exitium attulisse, ab eorum enim usu aucta mox diuresis fuit, ut claram & aqueam urinam in insolita quantitate emiserint: unde suppuratio variolarum periculose fuit impedita.

XVII.

Neutra Salia, qualia sunt arcanum duplicatum, Tartarus vitriolatus, Tartarus tartarifatus, sal polychrestum, sal Epsoniense eximias in medendo præstant vires, dum aperta servant omnis generis emunctoria, obstructions reserant, tenacem viscidam humorum massam colliquant, quare in chronicis passionibus submovendis operam laudatissimam collocant. Attamen hæc ipsa præpostere adhibita sæpenumero insigni esse nocumento, plura sunt, quæ id nos docuerunt. Ita, qui cardialgia gravi premuntur, hypochondriaci, & hystericae feminae, & quorum cuticula acribus succis quasi erosa est, caute hæc ipsa usurpent, necesse est: ingentes enim exinde sequuntur præcordiorum anxietates, magni ad vomitum conatus cum extremorum frigore. Simile quid haud raro visitur in febribus tertianis continuis, ubi talismodi salini pulveres repetita & majori dosi exhibiti in magnam perniciem ægros adduxerunt, adeo ut inflammationis metus ventriculi adfuerit. Neque eorum usus in variolis, morbillis,

billis, purpura rhevmatismis, arthritide, catarrhis, tussi, optatos effectus producit, siquidem hi morbi a sale proficiscuntur, quod magis magisque exasperando, symptomatum vehementiam non mediocriter adauget.

XVIII.

Acidorum quibus inter alimenta, & medicamenta utimur, non adeo formidabilis videtur effectus, nam inter cibos succi citri & aceti frequentior est usus: attamen qua potest fieri solertia, ab hisce sibi caveant, necesse est omnes, in quorum ventriculo adsumta facile inacescunt, siue in corrosivum liquamen abeunt, ut sunt hypochondriaci, calculosi & podagrivi, quorum nonnulli, ubi acidum quoddam vel modicum Rhenani vini adsumserint, protinus inde molestias in universo corpore percipiunt. Notabile est, quod plures qui fontanellas gestant, ab acidorum usu non ita longe post mox pruritem & dolorem ibi sentiant. Spiritus Salis bene præparatus est egregium stomachicum, appetitum erigens, est quoque optimum diureticum & calculosis non incongrua medicina. At vero illud peculiare habet quod, pectori sit inimicus, hinc tussim facile provocat, quare in omnibus morbis, qui pulmones & asperam arteriam obsident, cautissime debet usurpari. Reliqui minerales Spiritus acidi inter julapia exhibiti ad ardorem febrilem compelescendum, celeberrimi semper usus fuerunt, cum quibus tamen provide etiam & caute procedendum esse non sine ratione author suavorq; est *D. Præses*. Sunt exempla; ubi in len-

ris

tis & hecticis febribus absorbentes & præcipitantes pulveres largiori dosi atq; intempestive dati fuerunt, qui postea in ventriculo perfectionem aperto magno pondere fuerunt inventi. Horum quoq; immoderatio us intermittentem per facile in lentam continuam cum anxietate corporis, languore & copioso sudore febrem permutat. Maxime omnium vero in quartana horum usus esse debet circumspiciendus, quod acidum primarum viarum cum hisce terreis concrevens paulo adstrictioris fiat indolis, postea ad massam sanguinis & viscera delatum, obstructionem hepatis, quæ quartanam potissimum fovet, augendo ad hydropem non raro male curatæ hujus febris symptoma viam sternit paratissimam. Multo minus vero hæc præcipitantia terrea ad febrem sopiendam inveniunt locum, ubi corpora sunt infirma & colluvie humorum vitiosorum primæ viæ scatent. Ita novit *D. Pres.* ea puerperæ, quæ mox a partu febre intermittente corripiebatur largiori & crebriori dosi oblata, sævissima hysterica spasmodica, convulsiva pathemata concitasse, ut mors in propinquo visa fuerit: quæ acerbæ vero symptomata clementiori laxante & clystere adplicato protinus a vehementia sua remiserunt. Caveant quoque sibi a nimio præcipitantium usu omnes, qui sunt obesi, otiosi, cachectici & qui alvo adstrictiori laborant, eo quod ventriculum, qui alias in ejusmodi subjectis valde debilitatus est magis infirmet. Ceterum ad œsophagi ardorem temperandum nil præsentius est absorbentibus pulveribus, quia acidum, con-

E fligens

ingens cum acri bile, veluti hujus ardoris causam, edo-
mant.

XIX.

Spirituosa, ut inflammabiles vegetabilium spiritus
& ex ipsis cum saccharo parata aquæ vitæ ad acuendum
sanguinis motum & calorem in humidis subjectis neque
minus ubi multa cruda, difficilius coctionis adsumpta
fuerunt, quo digestio eorum promoveatur, in frequen-
tissimo nunquam non sunt & fuerunt usu. Non levis
tamen ab his fit sanitatis jactura, si iis vel nimium
vel non convenienti tempore utamur. Quemadmo-
dum enim, ubi pituita & ingens humiditas primas vias
obsidet, non sunt spernendi effectus: ita vero
sub adsumptione eorum, quæ multum chyli suppeditant,
horum usus plus nocet, quam prodest, quia nihil tam
celeriter chylo coagulatum inducit, quam spirituosum.
Vidimus a talismodi aquis vitæ stomachicis, ventri-
culi roborandi causâ circa lecti ingressum frequenti-
us adsumtis, digestionem potius turbatam, quam
adjutam fuisse, cum flatulentia & ructus, vomitusque
inde facti fuerint crebriores, forsân, quod chylosum
alimentorum extractum coagulaverint. Pessimus et-
iam error est & detestandus mos, quod post adsumpta
duriora compactiora velut carnes infumatas sale con-
ditas, pisces marinos Spiritum vini vel spirituosas a-
quas ingenti haustu ingurgitent, eo nempe fine, ut
facilior inde fiat digestio, sed plures hac ratione va-
lide lædi multiplici experientia convictus sum. Or-
ta enim exinde fuerunt magnæ viscerum obstructio-
nes.

nes, ex quibus postea cachexia, phthisis, hydrops aliique lethales & funesti morbi propullularunt. Præmittimus jam, ejusmodi spirituosæ & vaporosæ, capiti totique nervorum generi valde infensæ, atque adeo in morbis cerebri vel nervorum, parcissima manu concedenda esse.

XX.

Quid nuce moschata inter aromata potest esse innocentius, cujus quotidianus fere inter cibos usus est? quod tamen ejus abusus valde noceat ex sequenti observatione, quam doctissimus Schmidius in Miscell. Curios. A. 11. Dec. 11. Obs. 120. communicat, clarissimum est. Quidam nobilis triginta sex annorum, vegetus alioquin ac sanus, nisi quod ventris torminibus per aliquot dies afflictus fuisset, ad quos sopiendos quatuor Nucistas inter cerevisiæ pocula comedit: quibus adsuntis mox calore præternaturali, capitis dolore, vertigine, mentis alienatione ac stupore corripitur & visu penitus ac loquela privatur, comate vigili simul laborans; exhibitis cephalicis volatilibus die quarto paulisper ad se rediit relicta tamen memoriæ abolitione & postremo paralyti membrorum, octiduo sermonis usum recuperavit, referens, primis quatuor diebus se nil nisi densum glaucoma vidisse scintillis continuis innumeris oculos infestantibus, ab hisce malis omnibus ac singulis post delapsum trium mensium spatium demum liberatus est. Ex hac historia facile intelligi posse arbitror cum omnibus sedativis etiam naturæ amico principio instructis caute præsertim in

corporibus sero repletis & atonia laborantibus agendum esse.

XXI.

Discussis hisce pervenimus ad alia efficacia remedia, quæ vaporoso sulphureo elemento exorbitantes in nerveis & membranaceis fibrillis motus sistendo, doloribus & spasms egregie medentur. Ex quibus Castoreum principem jure meritoque locum obtinet. Quam magnificæ famæ sit medicina, non modo medicis, sed & vulgo ipsisque mulierculis non est incognitum, utpote cum in omni convulsivo & spasmodico affectu ad hoc tanquam ad sacram anchoram confugiant. Novimus tamen Castorina, promiscue & sine discrimine usurpata damno non fuisse exiguo. Ita scimus in hysteriis ea fuisse usurpata, ubi quidem cardialgiæ & præcordiorum spasmi primo intuitu videbantur imminuti, at diutius persistebant. Quamprimum vero prima regio a vitiosa humorum saburra per balsamica temperata laxantia fuit liberata, protinus dolorum vis exspiravit. Scimus etiam castoreum, puerperis paulo liberalius & frequentius adhibitum, insignem torporem capitis reliquisse & somnum gravem & turbulentum effecisse. Et quamvis omnia, quæ sulphure blando constant, ubi ingens dolorum ferocia urget & spasmi intensiores adsunt, laudabilem edant effectum, certum tamen est, quod, ubi malignitas, præsens i. e., ubi viscera sphacelo corripitur & putrescere incipiunt, vel inflammationes nobiles partes ut ventriculorum occupant, aut ubi caput torpet & gra-


& grave est, lenissima etiam non sine noxa fuisse :
nam ubi motus excitandi sunt, ibi vix ullum anody-
num vel sedativum locum invenit.

XXII.

Deniq; inter ea quæ satis clementer & benigne in-
feriorem ventrem expediunt, alvinas sordes educendo
rhabarbarina & mannata primi potissimum ordinis
sunt. Nam ubi alias tuto purgare non licet, sicuti
in puerperis & gravidis vel catarrhosis & pectoris af-
fectibus, ibi tamen jam commemorata laxativa suum
officium egregie faciunt : interea tamen dantur ca-
sus, ubi iis abstinere consultissimum est. Id vero ac-
cidit non tantum, ubi ad corporis circuitum e sangvi-
nis massa peregrinum expellitur, ut in morbillis, va-
riolis & petechiis: sed & in hecticis morbis, ubi ma-
gna intestinorum atonia est, tunc lenissimum purgans
sepe numero officit, nam quia natura sponte ad alvi
fluxum inclinatur, creberrimæ sedes fiunt, quas sum-
ma virium prostratio insequi solet, unde Medicus
perperam suæ famæ & existimationi consulit, si quan-
do talia præscribat. Sic novimus hecticis desperato
diagrydii sulphurati unum saltem granum cum an-
timonio diaphoretico & cremore tartari datum ita i-
psam per aliquot dies exagitasse, ut vel centum sedes
spatio duorum dierum non sine virium maxima di-
minutione habuerit.

XXIII.

Ex hisce jam dictis & adductis clarissime intelli-



gi posse arbitror nullum in rerum natura extare re-
 medii genus quod & prodesse & nocere non possit :
 si enim ea quæ naturæ amica & congrua sunt a noxa
 minus sint immunia perverso usu, multo magis va-
 lidiora quæ multum corporis motus alterant id
 præstabunt, majori hinc prudentia ut adhi-
 beantur necessum est,

DOctrinæ splendor Te non vulgariter or-
 nat,
 Pro meritis ergo Sparta petita venit.

Sis felix Medicus ! per Te Silesia vivat !

Numinis auxilio prospera cuncta fluant !

Sic dulces poteris fructus gustare laborum,

Sic erit ex animo pallida cura procul.

*Hic Clarissimo Domino Candidato
 gratulatur & omnia fausta ad-
 precatur*

PRÆSES.

PRÆ-

5. 98. 1.
PRÆNOBILISSIMO atq; EXPERIENTISSIMO
DN JOH. TOBIÆ CURTIO

Salutaris Scientiæ Candidato dignissimo
DE REMEDIORUM BENIGNORUM
ABUSU & NOXA

In Academia Hallensi publice disputanti mutui animi
conjunctiōe ductus gratulatur

M. GEORG BALTHASAR REICHARD,

VIR PRÆNOBILISSIME atq; EXPERIENTISSIME.

QUamprimum mihi familiaritas consuetudoque domesti-
ca Tecum intercessit, egregias animi dotes pariter ac
indefessam industriam, summa ac difficillima superan-
tem, animadverti. Dudum ex optimis præstantissi-
misque studiorum generibus ejusmodi elegisti, cujus in rebus
humanis maximum momentum existit, cujusque fructus cui-
que hominum ordini sese commendat. Non eo quidem in-
ficias vesanæ quosdam mentis homines reperiri, qui ex eo,
quod *Medicorum Princeps Galenus περιεργοντας & περιστοιχους*
lux scientiæ sectatores nuncuparit, humiliter abjecteque de
illis sentire cœperint. Hæc vero, quæ scioli honori Medi-
corum fraudi esse statuunt, emendioris judicii viri diligen-
tiæ potius & improbo labori rectissime tribuunt. Et sicuti
talia, *VIR EXPERIENTISSIME*, longe perspectissima habes;
ita scientiam cum medendi usu maxima cum laude conjun-
gis, resque abditas & occultas callide scrutaris. Cujus rei
veritatem etiam multa alia confirmant argumenta, omnium ta-
men luculentissimum ipsa Tua elegans æque ac varia do-
ctrina conferta de Remediorum benignorum *ABUSU &*
NOXA conscripta disputatio profert, *Ordine jam facis, &*
fam-

summos honores modestissime petis, quos intaminata Tua virtute & diligentia dudum meruisti; Maturius enim ad honorum insignia nitendum arbitraris, pauloque serius petis, quæ nec merito & leviter præparati multi petunt, vel rectius anticipant. Proinde eo magis TIBI favet Illustris Hallensium Medicorum Ordo, & summos medicinæ honores ultro TIBI offert. Quam surgentem fortunam licet tantum abest, ut Tibi invidiam, ut potius cumulatiores indies hujus accessiones ex animo Tibi adprecer, nunquam tamen sine maxima animi ægritudine mutæ consuetudinis fructuosa non minus quam sinceræ, qua jam ob loci distantiam divulsi sumus, recordor. Sed cum in Sapientissimi DEI nutu ac consilio acquiescendum sanctiores leges svadeant, hoc unum me desiderio Tui ferme languidum consolatur, quod firmiter mihi svadeam futurum esse, ut absens quoque mei memoriam sis conservaturus. Agas itaque, Vir Experientissime, multam a charissima patria meritum Tuis gratiam in eas. Certantes nunc concivium Tuorum voces audire mihi videor gratulationeque plenas, qui auspiciatum omen ferunt, & cupiunt, ut dici una cum Clarissimo Fratris tpe & animo pari, qui æquo laudis certamine ad Medicas dignitates contendit, in terris agas, & præsentissima ægrotantibus remedia adferas. Vale, Vir Experientissime, & res

Tuas feliciter age. Datum Jenæ d. XXIII.

Octobr. 1714.

Herbarum Vires cognoscere, noscere morbos,

Morborum causas, queis cedant, pharmaca nosse,

Munus

519. 1.
Munus id est Medici, in quod tu, charissime
Frater !

Sedulus incumbis, scrutans tria regna, paratis
Hinc mediisque vetans morbi succumbere te-
lis :

Inde Charon cymbam vacuam deduxit ad um-
bras.

Purpurea nunc Te decorat Medicina Tiara.

Hoc decus est Merces studii: multique laboris:

Hoc decus est Signum, qua sis præstantior Arte:

Hoc decus & spes est Patriæ, quæ provenit in
Te.

Gratulor hoc, totoque precor felicia corde,

In Fraternali Amoris Tesseram gratu-
labundus scripsit

JESAIAS CURTIUS,

Doctorandus.

:(

Be

S Er sich in Wissenschaft und hoher
Weisheit übet /
Setzt alle Grillen bey / und lacht
der Eitelkeit /

Die ein Naturulus mehr als die Wahrheit liebet;
Wohl wissend / daß sein Ruhm dennoch zu rech-
ter Zeit
Der Welt gezeiget wird. Drum muß ich also
schließen:

Daß lauter Ehre dich / **MEIN FREUND**
wird krönen müssen.

Mit diesen wenigen Zeilen wolte seine Schul-
digkeit gegen den Herrn Doctoranden ab-
statten sein ergebener Diener

Augustinus Schults Vratislav. Siles.
S. S. Theol. Candidat.

Betrübt und froh zugleich wie reimen sich
die zwen?
Doch / ich bins auff einmahl / so wil es
das Geschicke.
Betrübet muß ich sehn / so bald ich nur zurücke
Auff meine Trauer seh; Und doch muß ich dabey
Auch

580. 1.
Auch die Vergnügungen in meinem Sinne spüren/
Wenn dich/ MEIN THEUERER FREUND/
verdiente Ehren zieren.

Zugleich Democritus und Heraclitus seyn
Das scheint zwar etwas schwer / allein es muß
sich fügen /

Das allertieffste Leid verbeut nicht das Vergnügen
So mir dein Glücke schafft. Drum stellt mein
Wunsch sich ein:

Das Glücke so dir ist die erste Würde zeigt /
Seh unveränderlich zu deinem Winck geneiget!

Dieses wünte wolte dem Herrn Doctorando
als seinem hochwerthen Freunde/beywüdig-
ster Erlangung des Graeus Doctoralis, glück-
wüntschend beyseßen desselben verbundenster
Freund und Diener

Benjamin Jüngling Stein-Silef.
S. S. Theol. Candidat.

Flos Horti Medici non deflorande per ævum,
Accipe quas laudes candida lingua canit.
Mirifice calles certas medicaminis artes,
Ergo tibi merito digna corona datur.

)(2

Digna

Digna coronâ datur, quo possis pellere morbos,
Quos medii sani dirus abusus habet.
Pauca hæcce

Clarissimo Domino Doctorando, Amico
longe æstumatissimo memoriæ ergo
scribere voluit

JOHANNES JACOBUS STRASKIRCHERUS,
Ratisponensis Medicin. Candidat.

Ipsa Salus Christus Faustorum dulcis Origo
Concedat studiis aurea fata tuis.
Omnibus ut terris referat Silesica Fama :
Curtius est ægri firma columna gregis.
Maeste Tuis cœptis ! Iter hæc ad si dera pandent
Virtutique dabunt præmia digna Tuæ.

Hicce æstimationem summam erga Clarissimum
Dominum Candidatum demonstrare
voluit

G. F. RHYTHMANDER,
Svevo - Wûrtembergicus
M. C.





Digna
Qu

I Pfa
On
Cu
Macte
Vi

e morbos,
et.
ce

ctorando, Amico
o memoriæ, ergo

RASKIRCHERUS,
n. Candidat.

is Origo

Fama :
egis.
a pandent
Tuæ.

erga Clarissimum
atum demonstrare

IMANDER,
bergicus



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

TIFFEN Color Control Patches © The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------